

A 1856 III.


DE
HONESTISSIMIS MODIS
AC RATIONIBVS
MEMORIAM SVI POST FATA
PROROGANDI
PRAEFATVR

ET AD
ORATIONES QVASDAM
IANVARIAS
LVCE SEXTA PRIMI MENSIS
A. P. C. N. MDCCCLXXII.
IN AUDITORIO PRIMI ORDINIS
GYMNASII HALLENSIS
RECITANDAS



AMPLISSIMORVM PATRONORVM
GENEROSORVMQVE FAVTORVM
HONORIFICAM PRAESENTIAM
DECENTIBVS CORROGAT PRECIBVS
IOHANNES GOTTOFREDVS TAVST
GYMNASII HALLENSIS RECTOR.

•••••
HALLAE MAGDEBURGICAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRIDERICI AVGUSTI GRVNERTI.





Quamquam communi mortalitatis lege totum edocetur genus humanum, exanime corpus in cineres resolutum, viuentiumque subductum oculis posteritatis obliuione sepultumiri: singulari tamen ut plurimum incitatur desiderio, noninis sui memoriam rerumque suarum famam post fata prorogandi, et immortalitatis quodam inter viuos genere perfruendi: pro diuersissima vero indole morum diuersissimis viis rationibusque probos improbosque ad eandem metam tendere non pauca satisque celebrata vtrinque loquuntur exempla. Est nimurum derestabile quoddam genus hominum, quod aut manifestis flagitiis, cum HEROSTRATO illo, ad nominis sui graxsatur immortalitatem, qui celeberrimo Dianae Ephesiae templo incendio deleto, sempiternum se nomini suo monumentum statuturum sibi persuadebat: aut qui callida fraude cum SOSTRATO, Gnidio architecto, alienam perpetuo duraturam famam interuertere, nominique suo vindicare sat- agunt.

Qui

* 2

Qui cum PTOLEMAEI PHILADELPHI regio imperio, regiusque octingentorum talentorum impensis, turrim illam Alexandrinam nomine *Pharum*, nocturnis nauium cursibus regendis praelucentem magnifice extinxisset, muri eius faxo praeципuo nomen suum sequenti incidebat inscriptione: ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡ-ΣΙΝ ΤΠΕΡ ΤΩΝ ΠΑΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. i. e. Sostratus Dexiphanis (*filius*) diis salutaribus (*struxit*) ob nauigantes. Calci deinde huic monumento superinductae regis auctoris nomen imposuit; fraudulentio hoc confilio, ut, si tandem coeli iniuria temporisque diurnitate calx illa, regio inscripta nomine defluxisset, insculptum faxo nomen suum appareret, eoque sibi soli tam magnifica tam pretiosae substructionis gloria post fata apud seram vindicaretur posteritatem. Sunt alii, qui turpissimo plagio eximia alieni ingenii specimina eodem sibi arrogant dolo, ut eorum laude apud seram celebrentur posteritatem; aut in viuis adhuc eorum praeripiunt praemia, exemplo nebulonis illius, qui epigramma istud Virgilianum:

Nocte pluit tota: redeunt spectacula mane.

Diuisum imperium cum Ioue Caesar habet,

et praemii captandi, et sera apud posteritatem famae aucupandae causa pro ingenii sui partu turpissimo venditabat mendacio: sed ut illa aespatica cornicula, a Marone novo deplumbabatur epigrammate: *Hos ego composui versus: tulit alter honores, sic vos non vobis cet.* E contrario honesta quaevis virtutisque verac studiofa ingenia laudatissimo flagrant instinctu, nominis sui gratissimam memoriam post obitum quam diutissime extendendi. Qui saluberrimus mentis impetus, cum ad numinis gloriam, ad rei publicae felicitatem, ad posteritatem exemplo erudiendam magnopere conducat: dubium profecto nullum est, quin a deo ipso, sapientissimo ingenii humani conditore, animis humanis sit insitus. Hoe vero studium duraturae post obitum nominis memoriae in summis viris maxime eminuit. Quid, quaeso, Epiminondæ in Leuctrica pugna virtutem tantopere incendit, nisi nominis sui immortalitas? cum ipse glorieatur, se natam ex se reliquise pugnam Leuctricam, quae non modo ipsi superstes, sed immortalis quoque sit futura. Quid Alexandrum coegit

Achillem



Achillem ad tumulum eius beatum praedicare, quod et in viis fidum amicum, et post obitum praeclarum laudum suarum nactus sit praecomen Homerum, nisi audiissime experita nominis immortalitas? Quid Julio Caesari, conspecta Gadibus Alexandri statua, lectisque rebus gestis gemitus lacrimasque expressit, quod nihil adhuc posteritatis memoria dignum gessisset in ea aetate, qua Alexander orbem terrarum iam subegisset, nonne famae apud posteritatem memorandae stimulis ad tantas res gerendas fuit incitatus? Quam ob rem Plinius Caninium suum exhortatur, Lib. III. Epist. VII. *Quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur, nisi ut eum ad amorem immortalitatis exacerbet?* Quod immortalis famae studium licet in hominibus a verae religionis luce alienis abusu sit contaminatum: ab eo tamen scilicet naturae humanae maxime est conueniens, suaque laude dignum, et ab ipsa numinis sapientia ad gentium promouendam felicitatem floremque stimuli loco adhibetur. Verum enim vero in hominibus verae fidei luce collustratis ad amplificandam praecclare factis diuinam gloriam, veramque societatis felicitatem praecipuum adfert pondus atque momentum. His coelo demissis scintillis animi deo deuoti ad virtutum homine christiano dignarum exercitium accenduntur, et ad quaevis salutaria impelluntur facinora ab ipsis facris oraculis Psalm. CXI. 10. *Sapientiae caput est Iouae metus: recte sapiunt, hanc qui praestant, QVORVM LAUS AETERNA MANET.* Et Psalm. CXII. 6. *benefici hominis aeterna est memoria.* Ipse denique Seruator optimus de muliere, quae corpus eius sanctissimum, pretioso perfusum oleo, sepulturae praeparauerat, praemii loco spondet, fore, vt, *vbiunque publicetur Euangelium per totum orbem, dicatur id quoque, quod ea fecerit, ad eius memoriam.* Complures vero cum sint rationes modique memoriam fui sanctam, durabilem proficiamque post obitum inter viuos prorogandi: ex his mediis modisque praestantissimos diligentes ostendemus easdem probis, honestis dei ac publicae salutis amantibus perpetuo patere vias. Virorum itaque, quorum nomina post obitum grata celebrantur memoria, circumspicientes exempla, tria in his eminere genera deprehendimus. Alii enim inuentorum praestantia utilitateque de republica ita sunt promeriti, vt

nominis eorum memoria tamdiu sit duratura, quoad eorum inuenta publico commodo vberimos prolatura sunt fructus. Sic *Pythagoras* et *Archimedes* theorematis suis geometricis, *Goya* pyxide nautica, *Columbus* orbe nouo, *Faustus* typographia, *Harueus* circulo sanguinis, *Geriquius* antlia pneumatica, *Galilaeus* satellitibus Iouis, *Newtonus* coloribus in lucem protractis, nominis sibi conciliauere immortalitatem. Sed singularis modo, iisque non adeo multis a diuina datum est prouidentia, nominis sui memoriam hac via posteritati commendare. Longe vero magis trita est altera, praestantibus scilicet utilissimisque in omni disciplinarum genere scriptis serae posteritati sapientiae, pietatis, virtutis solidiorisque doctrinae faciem preferendi, quibus, iudice Horatio, monumenta nominibus auctorum exiguntur aere perenniora, nec uno inclusa loco, sed per omnem cultioris orbis ambitum circumferenda. Tertia denique ad superstitem famam via diuinae munificentiae imitatur exemplar, quae aut sacris publicis obeundis, aut inopibus miserisque ac morbo prostratis, orbaeque parentibus pubi alendae liberales erogat sumptus, ac honestae iuuentutis educationi solidiorique institutioni curam, adiumenta opesque impedit. Quod de salute posteritatis bene merendi studium cum ipsis his beneficiis auspiciata nomini memoriam ad omnes eos traducit, qui longa annorum serie ipsis perfruuntur, tantoque est praestantior sanctiorque, quanto facilius cordatorum integerrimorumque hominum provocat imitationem. Ipse sapientissimus verae virtutis magister Christus cunctis suis genuinis sectatoribus ore spondet veracissimo, se in die illo totius mundi decretorio eorum in sustentandis, fouendis, promouendis inopibus, miseris, auxilio destitutis collocatam curam liberalitatemque coram tota beatorum panegyri egregie collaudaturum, sibique ipsi in acceptum relatam, aeternis maestaturum praemiis.

Gauisa est Halla nostra inde a repurgatis sacris virorum eximiorum longa serie, qui seruatoris sui omnium munificentissimi sanctissima prementes vestigia, vario liberalitatis christiana genere, in quibuslibet ordinibus, ad beatos translati coelites, faustum nobis reliquere sui memoriam, virtutis pietatisque suae praestantissimum monumentum, qui in publicis

publicis rerum Hallensium annalibus insigni prostant copia. Virent ad
huc inter nos iustorum istorum ossa, virtutisque post funera etiam flo-
ridae gratissimum spargunt odorem. Quorum veneranda nomina angusta
hac pagina complecti, cum nec scopus, nec tempus permittat: eorum
saltem, qui ad rem nostram scholasticam proprius spectant, quosdam mu-
nificentissimos euergetas gratisima recolimus mente. Veneratur Gymna-
sium nostrum suos *Bethmannos*, *Petersohnios*, *Okelios*, *Hofmannos*, *Gries-
heimios*, et omnes illos, qui docentes discentesque insignibus maestauere
stipendiis, in primisque crastina luce inscriptos *Oelhafiano* nomine, cineres
et ossa recentissimis gratae pietatis sparget floribus. Qua occasione bibliothecae
scholasticae defunctorum euergetarum *BÜCHNERI*, *KRAUSII*,
GADENII, *BAUMGARTII*, *BILZINGII*, *LIZMANNI* aliorumque
catalogo publico inserimus paeconio sanctissimae memoriae virum beatum
ZIEGLERUM, artis salutaris experientissimum prudentissimumque Docto-
rem et Practicum, qui ante obitum dono insigni quinquaginta nouem
tomorum ex actis Eruditorum Lipsiensibus latinis honorificum aereque
perennius nomini suo monumentum in apparatu Gymnasii litterario co-
ndidit. Quem ex tot riulis collectum sapientissimae liberalitatis fontem
sera posteritas recenti toties coronabit lauro, quoties ex eo larga litterarum
hauriet subsidia. Ineptissimi vero aestimatores virtutis, et immortalitate
dignae munificentiae essemus eximiae, nisi nomina tum magnifica,
tum illustria, tum summe et magnopere reuerenda, tum amplissima,
tum spectatissima viuentium adhuc Bibliothecae Gymnasii patronorum,
qui insignibus frequentissimisque eam munerarunt doribus, muneris,
cuiusque fronti calamo inscriberemus gratisimo, catalogoque serae poste-
ritati per manus traderemus. Eminent in hoc censu *LOEPERIANUM*,
REICHHELMIANUM, *STUCKIANUM*, *WESTPHALIANUM*,
MILLERIANUM, *GRUNERIANUM*, *HERRNSCHMIDIANUM*,
STRUENSEIANUM, *IEZKIANUM*, *IÜNGKENIANUM*, *KIRCHNE-
RYANUM*, *GBEAUERIANUM* nomen. Quorum insigni benevolentia
Gymnasium hacce publica sygrapha sese profitetur obstrictissimum.

Pota



Post consecratam sempiternae memoriae PATRONORUM et
FAUTORUM munificentiam declamationum crastina luce ex primi
coetus cathedra recitandarum argumenta hac quasi publica ex tabula
suspendenda restant. Dicent vero

- I. CHRISTIANUS GOTTLÖB MEYERUS, Posna-Polonus, qui sapientiae diuinac vestigia in ciuitate Christi per Euangelium plantata, consecrabitur stilo latino.
- II. GABRIEL GUILIELMUS GOTTLIEB KEFERSTEIN, Magdeburgicus, Iuliani apostatae christianam religionem oppressuri callida quidem, sed irrita exponet stratagemata, eodem stilo.
- III. IOHANNES ELIAS KAYSER, Thuringus, Maiestatem diuinam, ex natura luminis effulgentem, illustrabit oratione vernacula.

Denique Rector, Solem iustitiae cum sole mundi comparabit metro latino.

Tironum igitur nostrorum industriam et in dicendo alacritatem, ut PATRONI grauisimi, FAUTORESque generosi, honorifica sua praesentia serenoque vultu accendant, ab indulgentissimo eorum erga mansuetiores Musas fauore enixis pariter ac humanissimis precibus efflagitamus.

P. P. in Gymnasio, die Ianuarii quinta MDCCLXXII.



W 18

DE
HONESTISSIMIS
AC RATIONIB
MEMORIAM SVI POST
PROROGANDI
PRAEFATVR

ET AD
ORATIONES QVA
IANVARIAS
LVCE SEXTA PRIMI MENS
A. P. C. N. MDCCCLXXII.
IN AVDITORIO PRIMI OR
GYMNASII HALLEN
RECITANDAS

AMPLISSLIMORVM PATRONORVM
GENEROSORVMQVE FAVTORVM
HONORIFICAM PRAESENTIAM
DECENTIBVS CORROGAT PRECIBVS
JOHANNES GOTTOFREDVS TAVST

GYMNASII HALLENSIS RECTOR.

HALLAE MAGDEBURGICAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRIDERICI AVGVSTI GRVNERTI.

